

2216
877
300
DISPVATIO IVRIDICA

De

**I V R E A C-
C R E S C E N D I .**

Quam

F. D. T. O. M.

Authoritate, Approbatione, atque

*consensu, amplissimi Collegij Iuridici in Archiducali
peruetsita, omniumq; celeberrima Fribur-
gensium Academia.*

PRÆSIDE


NOBILI, CLARISSIMO, CONSVL-
TISSIMOQ. VIRO, DN. SIGISMUNDO
VVITTVM I. V. D. Pandectarum Professore
Ordinario, & pro tempore Iuridicæ faculta-
tis Decano spectabili.

*Pro consequendis amplissimis in vtroq; jure DOCTVRÆ
Honoribus, justitiæ sacerdotibus, eiusq; Studiosis di-
scutiendam proponit.*

MARTINVS FROSCHESSEVS Colmar.
Poëta Laureatus.

FRIBV RGI BRISGOIÆ.

Ex Typographæo MARTINI BÖCKLERI.
Anno M. DC. IX.





AD NOB. AMPLISSIMVM, ET
PRVDENTISSIMVM ORDINEM SE-
NATORIVM IMPERIALIS REIPVB.
Colmariensis.

MARTINI FROSCHESSERI. P. L.

P R Æ F A T I O.

INGENIOSE & sapienter,
Patres conscripti, Plato, & post
eum Latialis eloquentia Ca-
millus Cicero, ortus nostri par-
tem patriam sibi vendicare, litteris prodi-
dere. Quod sanè, ut confirment, multi eo in
loco sunt, ego ut id aperiã, nec breuitas epi-
stole patitur, nec opus est apud sapientes, qui-
bus hoc ignotum non est. Pergo itaq; ad pro-
positum. Cum à me per annos jam aliquot
per precipuas Germania peregrinante Aca-
demias, non pauci iure quodam suo efflagi-
tarent, studia ut mea, eaq; qualiacũq; ad cer-
tum Legalis facultatis gradum, ceu limitem
quendam dirigerem, eiusq; rei perficiunda
specimen aliquod foras producerem, hac præ-
sertim Archiducali in Academia, que iam

dudum in iure à celebritate nominis suo merito præ aliis celebratur, Quantum lenta solent inter viburna cupressi. Cum autem omninò operi inscripto, speciminiq; præstito querendus iam esset patronus & numen quoddam quasi tutelare, nec potui, nec debui, ut rursus Platonis, Ciceronisq; autoritate utar ἀνευ δόλων καὶ ἀπάτης, alij quàm patriæ studia mea, non amplà licet, (nec enim, ut ille ait, venit à Mensa paupere diues opus, ut plurimum enim nostra despicio, Ne si fortè suas repetitum venerit olim, Grex avium plumas, moueat cornicularisum) consecrare. Materiam quam tracto nobilissimam, nostroq; foro maximè accommodatam, spinosam tamen nostis, & in toto iure primas tenentem.


Hanc ergò περὶ Φώνησιν, testem mea erga vos obseruantia, Patres conscripti, perennem esse volo, totūq; hoc opusculū, operosū licet, quale quale sit vobis nuncupo, addicoq; libens. Epigrammata à nobis edita, licet doctorellis quibusdam modicæ doctrinæ D. d. d. apud exteros quoad eruditionem malè audienti-

bus,

bus, (in quibus se non vili articulo tactos putabant, ideoq; à me reuocari ea viriliter contendebant,) displicuerint: tum quod doctrinam eorū carpsim, D. L. tum etiā quod Criticos principes Cic. Castal. Vall. Priscian. Scallig. in multis refutarim, illudq; exemplis illustrarim, nunquam reuocabuntur. **KESLERVM** melioris notæ hominem, ἀνθεπισκοπὸν ἀλφαριθμητικόν, *Abecedariorū antesignanū, suus manet asinus* 4. conscriptus linguis, quē intra paucorum spatiorum dierum unā cum illi coherente ecloga typis excusum iri puto: diuulgari debuisset iam dudum, sed typrographus perpetua fuit in mora. Si enim turpis ille grammatista nominat Phadriam, cur ego Grammaticus non nominarem Pamphilam. Valet. Hæc cursoriè ad lychuum labente somno, currente calamo.

Friburgi Calend. Junij

1609.



IN NOMINE DO- MINI NOSTRI IESV CHRISTI.

*Venerabundi, omni remoto dolo, ut vene-
randa sentit antiquitas, ad professionem
nobilissimam, maximèq; intricatam IURIS
ACCRESCENDI materia accessuri,
primò de vocabuli siue dictionis explicatio-
ne, tum definitione, diuisione, vi, natura
effectu deniq; verba faciemus.*

THESES I.

IURIS Accrescendi dictio, etsi latissimè (a) pa-
teat, speciali tamen, magisq; propria (b) signifi-
catione, pro iure, quo pars vacans cedit & accre-
scit parti occupatæ, vsurpatur: quod definitur.
Modus acquirendi, quo ex CONIUNCTIONE vel SIM-
PLICI LEGIS DISPOSITIONE jus in re nobis acquiritur.

(a) quod notatu dignum, id propter, ut firmi quid, in quo pia mens
acquiescere possit, concludatur. Colligitur autem ex dd. equiuocè
illud dici, κοινώς ιδίως, ιδιαιτάως. communiter nimirum, pro-
priè, propriissimè deniq; (multa in tota disputatione, ad Græ-
cos quoad terminos, Philosopho nostro maximè accommodatos,
introducemus, ni Græca deesset ei qui est à typographo, littera)
Comuniter dd. Græcis dicitur $\omega\epsilon\sigma\alpha\upsilon\chi\eta\sigma\iota\varsigma$ καὶ μέγεθος ἀκαίρε-
σις. Accrescere n. dicunt, quæ & qualiscunq; res accedat alteri, v. g.
Insula fundo accrescit. Insula l. Ergò ff. de Acquir. rer. dom. Salust.
in Cic. Redde rationem, quantum patrimonij acceperis? quid tibi

litibus accreuerit? Propriè apud Theoph. v̄sitatum extat in tit. de Exhæred. lib. & constit. Iustin. in l. Maximum vitium C. de Lib. prat. Hoc modo jus non decrescendi, siue vt loquar expressiùs, καὶ ἀντιλεξίῳ, jus non deminuendi dicitur, accrescere l. i. ff. de Vsufr. accresc. (b) Proprijsimè nimirum, vt hoc in loco, quod lege introductū rectè asserimus cum Duar. lib. I. de Iur. accresc. c. I. Bart. Romul. in lib. sing. de Iur. accr. num. 78. Necessitate juris exigente, quoad legatorem quidem, ne tacita voluntas testatoris euertatur: quoad heredem vcrò ne jus euertatur, confer. l. 37. de Testam. milit. l. Vnic. § His ita C. de Cad. toll. l. 80. ff. de Adq. hæred. Ias. in l. I. C. Quand. non pet. part. Duar. d. loco. (c) à variis variè, & supersticiosè nimis, definitur: nos hanc descriptionem in hac Cæsarei juris schola maximè propriam, materiæq; substratæ conuenientem optimo jure retinebimus. Quis enim definitionem in jure contexuerit? per l. Omnis 202. in verb. PARVM vbi dd. Dec. & Græci. Harmen. Ecl. 1. c. 198. ff. de R. I. Verè de nobis in jure idem dici potest, quod de Aenea Virg. inquit contemplante res Romanas in clypeo sculptas, Miratur, rerumq; ignarus imagine gaudet.

THESES II.

Ex (a) conjunctione, cuius causa efficiens est testator, quæ est duorum pluriumue in eundem locum congregatio: quæ rursus duplex (b) SIMPLEX nimirum & MIXTA; illa vel VERBIS tantum, vel RE tantum, hæc vtroq; (c) modo conjunctim contingit.

(a) l. Re conjuncti ff. de Legat. 3. l. Triplici ff. de V. S. (b) propter dichotomiam, quam in delicijs habemus Arist. lib. 1. de Part. animal. c. 2. 3. Rodolph. Agricol. lib. 1. c. 7. diuisio inquit, est generis per differentias diductio, placuitq; omnem diuisionem duabus differentiis è diuerso positis, debere perfici. Arist. lib. 1. de Part. animal. cap. 3. δὲ γὰρ τοῖς ἀντικειμένοις διαφεῖν. (c) & hæc subdiuisio ex sufficienti partium enumeratione vt vult. Ias. in d. l. 89. Bart. in l. Triplici ff. de V. S. depromitur.

THESIS III.

Verbis tantum conjuncti (a) dicuntur, quibus (b) æquis pro indiuiso portionibus (c) res eadem (d) relinquitur.

- (a) v. g. *Titio & Seio fundum Cornelianum æquis partibus do, lego* l. *Re. conjuncti ff. de Legat. 3. l. Triplici ff. de V. S.* (b) *Hi ergo re separati sunt, quia æquales partes sunt relictae, non quidem corpore diuisæ, sed intellectu: si enim corpore essent diuisæ, utiq; dimidia parte separatim relicta nulla esset conjunctio* l. *Planè ff. de Leg. 1.* (c) *necesse ergo est, ut expressè partes à testatore sint factæ* d. l. 89. vbi vulgò dd. *Requisita tria huius conjunctionis vid. apud Duar. d. loco. c. 3. 4.* (d) *Eadem puta in specie, h. e. ut nostri loquuntur, in indiuiduo: non in genere: non in quantitate.* *Fum. num. 4. Duar. d. lib. 1. c. 5. vulgò dd. ad d. l. Re conjuncti. diss. Ferret. ibi num. 55. Et hic propriè locum habet jus accrescendi, ut si alteruter moriatur, aut repudiet legatum, alteri pars eius accrescat.*

THESIS IV.

Retantum conjuncti (a) dicuntur, cum duobus res eadem in solidum (b) legatur.

- (a) v. g. *Titio Fundum Cornelianum do, lego. Seio fundum Cornelianum do, lego* d. l. 89. d. l. *Triplici.* Et hoc modo conjuncti recipiunt magis & minus, qui propriè conjunctis oppositi frequentius disjuncti vocantur, quia ab ipso testatoris sermone apertissimè discreti sunt. *Bart. in d. l. 89. Imper. Justin. in l. Vnic. § 8. & 10. C. de Cad. toll. Gloss. mag. in l. 1 §. pen. ff. de V. S. usufr. accresc. Ias. d. l. Cuiac. in Parat. C. de Cad. toll. possunt tamen testantibus dd. inter se soli, conjuncti appellari* (b) *Requiritur enim, ut expressa dispositione testatoris tota res cuilibet eorum assignetur, in solidum.* *Bart. in § Vbi autem C. de Cad. toll. Ias. d. l. num. 50. SOLIDVM autem hic appellamus, (non ut Caius & Vlp. in tit. Instit. de Leg. ut alteri res, alteri æstimatio detur, volunt) sed partes fieri contendimus: ceterum cum hæc conjunctio non tam ex verbis testatoris, quam ex voluntate eiusdem dependent, non pugnabimus,*

vbi de voluntate testatoris constiterit, vel ex verborū vi apparuerit, testatorem alteri rem, alteri estimationem datam voluisse, solidum & in illa significatione humanitatis intuitu accipi posse. Si ergo hic duobus separatim res eadem legetur, vnicuiq; in solidum legata ea videtur, fiunt enim partes concursu vtriusq; legatarij ex forma legati, vtriq; enim in solidum res illa est legata. Ideoq; si alteruter non concurrat, fundus, cuius in allegatis mentionem fecimus, alteri, si volet, relinquetur totus, non quidem jure accrescendi, sed jure non decrescendi.

THESIS V.

Mixtim conjuncti sunt, (a) quando duobus vel pluribus res eadem vno atq; eodem (b) verborum complexu partibus nullis (c) expressis datur.

(a) *Simpliciter hactenus conjunctis animaduersis, facile erit, mixtim conjuncti qui sint cognoscere: Vt enim rei conjunctioni addita conjunctio orationis, sic à conjunctione verborum detracta partium diuisio genus hoc constituit (b) vel vt Duarenus loquitur, vna eademq; oratione (c) puta, Titio & Seio fundum Cornel. do, lego. disj. Petr. de Bellaper. Cyn. Citramentani omnes, qui conjunctionem verbalem esse tantum somniant, quorum doctrina rectè erronea à Zaf. improbat 1. sing. resp. 18. Duar. d. lib. 1. c. 9. las. d. loco.*

THESIS VI.

Inde illud in disquisitionem cadit, quid de summa, seu quantitate (a) legata statuendum? Quid item, si vni totum, alteri (b) pars legetur? aut vni generaliter, alteri specialiter? (c) & deniq; si quis Titio fundum, & Sempronio fundi usufructum legarit? quid (d) juris sit?

(a) *v. g. Titio 10. lego, Sempronio 10. lego. Et controuersiam cum Duar. componemus, idem juris de omnibus rebus, quæ pondere, numero, in mensura absoluuntur, constituentibus (b) quo casu ab Accursianis dd. rem magis ex dialecticorum formulis obscurantibus,*

quàm explanantibus, dissentientes, conjunctos eos esse Aff. (c) ubi nullam conjunctionem esse, sed speciale derogare legato generali asserimus l. *Vtorem* 39. § *Felicissimo* ff. de Leg. 3. l. *Seruis vrbani* 99. §. *Vlt. eod.* (d) *Titium & Sempronium in vsufructu conjunctos esse, vsufruq; fructum inter eos communicari, non Neg. l. Si alij* ff. de *Vsufr. leg. l. Si. Io.* ff. de *Vsufr. ear. rer.*

THESIS VII.

His generaliter (a) cognitis, tempestiuè concludimus, jus accrescendi in omni (b) conjunctione locum sortiri.

(a) *posita enim definitione, diuisioneq; propositæ materiæ, non alienum est, breuiter distinctèq; de vi, natura, effectu deniq; de quibus varia & difficilia disputantur, verba facere, eiusq; rei præcipua duntaxat capita exponere* (b) l. 16. ff. de Leg. 1. proprie sic dicta, mixta videlicet, & verbali, in qua maximè spectantur verba testatoris, & ea quidem, quæ non tantùm conjungendarum personarum vim habeant, sed etiam, quæ ad rem diuidendam apta sint, ita tamen, ubi in verbis quid fuerit ambiguitatis, voluntas vt etiam testatoris inspicienda sit. d. l. 16. ff. de Legat. 1. l. *Vnic.* § *His ita C. d. Cad. toll. vulgò dd. in d. l. 89. Duar. d. lib. 1. c. 10. Fum. de Conjunct. c. 6. diß. Accurs. & vulgò dd. qui non modica superstitione terrentur, imperitè enim & oscitanter quædam, minusq; solerter legibus aperta, mirificè eorum animos torserunt, dum legibus & ratione pugnantia quouis pacto student conciliare, quod tamen illis vitio neutiquam verti debet, nec religioni habendum, in tam difficili opere eos interdùm dormitasse. Hos tamen benè refutat d. præceptor Goedd. in l. 102. n. 2. ff. de V. S. ^{etiam} in reali, (excepto usufructu l. 1. ff. de *Vsufr. accresc.* cessat enim hic jus accrescendi, non tamen jus non decrescendi, siue non deminuendi, quæ distinctio ad docendum maximè utilis salua conscientia à nobis retinebitur, licet antiquioribus IC. incognita) cum natura rerum conditum sit, vt plura sint negotia, quàm eorum vocabula: vocabula autem apta rebus imponi debeant l. 4. ff. de *Præscr. verb. Quod idem fecisse dd. in distinctione Vsufr. CAUSALIS & FORMALIS**

non incertis vestigiis elucet. *Gloss. in verb. IVS. vbi Ang. Fab. & dd. in princ. Instit. de Vsufr. Veteres tamen & hic non decre- scere, accrescere dixere, nec tam subtiliter distinxere, quam à Justin. factum l. i. § Interdum ff. de Vsufr. accresc. l. Hæc scriptura l. Si se- paratim ff. de Condit. & demonstr.*

THESES VIII.

Dicta autem conjunctio, vnde jus prolabitur accrescen- di, cum tam inter Hæredes, quam Legatarios fiat, quid senti- dum, quæritur? Nos vt certi quid, in gyrumque rectæ rationis (a) redactum concludatur, cohæredi (b) partem deficientem inuito regulariter & nolenti accrescere judicamus, secus ta- men in collegatario (c) dicentes.

(a) quod vera generositatis est studiū secundū Ioan. 5. 39. ὁρθοτομέει τὸν ἦν ἀληθείας λόγον. & 7. 17. Actor. 17. 11. σαλευῖ, latitia con- scientiæ, quæ secundum Plat. dulcis est nutricula senectutis (b) si videlicet hæreditatem pro parte sua adierit §. *His ita. C. de Cad. toll. non distinguentes hæreditas lege, an vero testamento delata sit d. §. l. Qui ex duobus ff. de Adq. hæred. (c) cui non nisi volenti pars rei legata accrescit. § Vbi autem C. de Cad. toll. Vtriq; tamen pars de- ficiens cum onere accrescit, collegatario quidem regulariter semper paucis exceptis casibus. Nulla habita ratione, pars illa deficiat ipso jure, an ope exceptionis l. Nihil interest. ff. de R. I. Hodie eam defici- entem vocantes, quocunq; deficiat modo v. g. Si alteruter deficiat, quia aut spreuerit legatum, aut viuo testatore fati munus explerit, vel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatarium pertinebit. § si eadem Instit. de Legat. quanquam hæc in re subtilis veterum distinctio de l. Pap. Poppæa fuisse videtur.*

THESES IX.

Sed quid de particularum in ratione conjungendi oc- currentium, vi & proprietate pronuntiandum? Nos disjunc- tiuam (a) particulam testatoris pro conjuncta (b) haberi, putamus, Idem de aduersatiua, (c) de nominibus (d) colle- ctiuis, & distributiuis (e) putantes (f).

(a) v. g. *Si Testator dicat, Titio aut Sempronio lego* (b) *coniunctio legatariorum plerunq; intelligitur, disiunctiva n. pro coniuunctiva hic habetur l. Sape ff. de V. S. l. Cum quidam C. eod.* (c) *puta, Titio dimidiam, Sempronio autem dimidiam lego.* (d) *hoc modo, Filijs meis aut libertis meis lego, Filij aut liberti mei hæredes sunt* l. *Interdum ff. de Hæred. instit. l. Qui quartam § Vlt. ff. de Leg. I.* (e) *ita Quisquis mihi hæres erit, & Titio filius meo filio hæres esto* l. *Vlt. C. de Impub.* (f) *Duar. Ias. dd. ll.*

THESES X.

Ius hoc accrescendi, hæctenus ex dictis conjunctionibus exortum, in quacunq; vltima voluntate firmum obtinet pedem.

Iustin. in constit. de Cad. toll. dicit, quæ d' se accrescendi de jure constituta sunt, consistere in quacunq; vltima voluntate, in donatione insuper etiam causa mortis, quæ similis est legato l. *Vlt. C. de donat. caus. mort. In mortis causa capione, quæ & ipsa inter vltimas refertur voluntates* l. *Qui duobus 23. ff. de Cond. & demonstr. l. Thais § Stichus ff. de Fidei. hæred. In assignatione libertorum res clara per text. l. Si quis duobus vbi Vlp. ff. de Assign. lib. Diuersum est in donatione inter viuos, ea excepta, quæ ex liberalitate promanat principis, quam plenissimè interpretamur l. pen. ff. d. Constit. princ. l. Vlt. C. de Præpos. agent. in reb. Constant. in constit. sua lib. 10. C. Si liber imper. soc. diuersum jus est etiam in contractibus, in quibus rationes, ob quas jus accrescendi in vltimis voluntatibus est introductum, cessant l. 5. ff. de Vulg. & pup. subst. nec vlla extat lex in toto jure de jure accrescendi, quæ ad contractus propriè pertinet, tametsi leges voluntatem contrahentium seruari jubeant. Cessat etiam in pœnis, vt vult Bald. in l. Arbitr. ff. de Arbitr. Vt & in duobus fiscis, quia fiscus propriè non est hæres. Bart. & Ias. in l. Quoties l. Nouatio ff. de Nouat.*

THESES XI.

Feudum vel Emphyteusis à summis (a) principibus, in eadem inuestitura duobus conjunctim concessa, jus accrescen-

di an recognoscat? non modicæ quæstionis est. Itemq; Jus illud an sese extendat in collegas ordinariam jurisdictionem exercentes? *Affirm hoc, quædam illud Aff. (66)*

(a) *puta ab Imp. vel rege, non autem ab inferiore, sic sentit Bald in ca. I. de duob. fratr. à capit. inuest. Ias. nu. 178. (b) l. 1. & ibi Bald. de offic. consul. l. Imp. l. Magistratus vbi Ang. & Immol. de App. pel. Ias. d. loco num. 196.*

THESES XII.

Hinc quæritur, vtrùm sit jus accrescendi inter duos patronos, quorum alter jus (a) patronatus amisit? & illud, an impuberis cohæredi (b) hæreditas impuberis etiam accrescat? Vtrunq; Aff.

(a) *Duar. de jur. accresc. duobus tamen necessariis accedentibus requisitis (b) si videlicet cohæres substitutus in secundum casum filio impuberi, filius postquam hæres extitit, impubes è viuis decesserit: hæreditas enim eius ei tunc etiam inuito acquiritur. Justin. in l. Quidam. C. de Iur. delib.*

THESES XIII.

Effectus juris huius accrescendi est, vt transeat in successorem (a) juris, non tamen (b) omnem: vt actionem (c) nobis producat, imò & exceptionem (d) pariat: vt conjuncti, vnde jus illud (e) profluit, cæteris conjunctis præferantur. (f)

(a) *Cuiac. lib. 12. obs. c. 11. (b) Non in fideicommissarium Trebellianicum, Cuiac. dd. ll. (c) eam nimirum, quam & principalis, cui accrescit, progignit, cum accessorium sequatur naturam sui principalis c. accessorium de R. I. in 6. (d) Nam quibus datur actio, ijs multò magis danda est exceptio, l. 1. vers. Nam cui. de Superf. c. quod ad agendum de R. I. in 6. Si partem, quæ jam accreuerit, ab altero quis petere destinarit, is qui conuenitur exceptione petentem repellere poterit. (e) diuersimodè tamen, puta, vt jus pralationis inter eos etiam obseruetur. Et sanè mixtim conjunctos reliquis præferri non ambigitur dd. in d. l. 89. (f) de Re tantum & verbis*

tantum conjuncto dubitatur. Bologn. & Roger. hunc illi præferunt, quod Fuma. c. 10. n. 1. Duar. d. lib. 2. c. 11. Costal. ad l. 1. § Idem ait. de V. usufr. accresc. Alciat. 6. Parad. 7. rejiciunt, et si illud magis voluisse videntur Azo & Bart. reprehensi à Zas. d. cap. 18. Cuiac. 24. Obser. 34. Goed. d. loco num. 11. Grass. lib. sentent. § Ius accrescendi quæst. 13. Et hoc verum est, si fiat concursus conjunctorum re tantum cum verbis tantum: vel etiam mixtim: nam cum unius tantum generis conjuncti reperiuntur, partem deficientem omnibus accrescere, inter omnes convenit § His ita. C. de Cad. toll. Sciendum tamen Ius accrescendi cedere substitutioni, propter expressam voluntatem testatoris.

THESIS XIV.

Illud quæsitum est, an jus accrescendi à testatore possit prohiberi? In legatis autumamus: in hæreditate sequendam esse testatoris voluntatem, quæ in (a) testamentis pro lege habetur, arbitramur.

(a) *nisi ob eam causam testator partim testatus, partim intestatus decedat, quod juris adversatur subtilitati l. Ius nostrum ff. de R. I. dis. Ias. Fulgos. & Paul. de Castr. qui arcanum juris sub hac quæstione latere vult: sed ab hoc arcano libera nos Domine. Nec nodum solvit, sed vulgariter diffecat.*

THESIS XV.

Hactenus dictum, Ius accrescendi, quomodo oriatur ex conjunctione, nunc consequenter, qualem ex LEGIS DISPOSITIONE ortum habeat, dispiciamus parcius, quæ est, quando plures conjunctim ad acquisitionem rei alicuius à lege vocantur.

l. Proculo ff. de Legat. 2. Angel. in l. Item quod Sabinus ff. de Hæred. instit. Ias. d. loco. num. 34.

T H E S I S X V I.

Estque rursus duplex: aut enim ex (a) VERBIS LEGIS
prouenit, aut ex DISPOSITIONE (b) EIVSDEM.

- (a) *Vocabulum ex dispositione legis, imò phrasin hanc dd. latè sumunt: quæ in se comprehendat conjunctionem legalem, præter tamen morem loquendi IC. vsitatum, sic dictam, tam ex verbis legis, quàm ex dispositione eiusdem constantem. Ex verbis legis, vt si duo nepotes in potestate conjungantur inuicem respectu nepotis emancipati (b) Ex dispositione, quæ & consuetudinaria dicitur, si ex vno stipite descendat feudum in plures filios, ex vno enim fonte sic conjuncti oriuntur. c. 1. § Cùm verò Qui feud. dar. poss. Bal. in l. Vnic. § His ita C. de Cad. tollend. Et sic finis factus nobilissima in toto jure materia. Laus sit Deo patri nostro & Domino nostro Iesu Christo. Te sanctè Deus veneror, gratiasq; ago; studia (quæ fecisti) mea pariter fortunare non desine, ne quis mihi malus ea turba sit malè.*

P A R E R G A.

T H E S I S I.

Romani Imperij status, sit ne Aristocraticus, an verò
Monarchicus. Hoc Aff. (a) nouis rationibus, ijsq; non
ineruditis.

- (a) *Idem dictum putamus de Romani imperij monarchia, quod Claudianus de virtute cecinit, Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis, Diuitiis animosa suis, immotaq; cunctis Casibus, ex alta mortalia despicit arce. de summ. Imper. Mart. de Cazaris tract. de Princ. Bart. de las. casas. in quæst. de Imp. vel reg. pot. Marant.*

part. 3. quæst. Vn. n. 91. Vbi latè de iure Longob. differit. Nec obst. Imp. in imperio solùm absq; Electorum, Principum, ciuitatum imperij legem vniuersalem condere non posse, vid. Recessus Imperij circa fin. in illis verbis. **So haben wir vns demnach mit den Ständen des Reichs / vnd sie hinfvnderumb mit vns verglichen.** dis. Bodin. in lib. de Re- pub. Multi etiam ex nostris, turpe dictu.

T H E S I S I I.

Seruites olim licet l. Scribonia vsucapi non potuerint, præscriptæ tamen earum quædam longo (a) tempore legitime fuerunt. Quin imò, & hodiè indifferenter omnes longo (b) tempore vsucapi, peræquè atq; res immobiles. Aff.

(a) Paul. lib. 5. Sentent. tit. 2. l. 2. C. de Seruit. Cuiac. ad l. 4. § Vlt. ff. de Vsucap. (b) l. Vlt. C. de Præscript. long. temp. eodemq; tempore omnes indifferenter amitti non vtendo l. pen. C. de Seruit. l. Corruptionem 16. C. de Vsufr. dis. dd. monstra continua & discontinua suspicientes. θαύματα ῥημάτων, λεπτολογήματα λογομαχίας.

T H E S I S I I I.

Vsuræ in genere sic dictæ, tres sunt (a) species, Lucratória, Compensatoria, Punitoria. Prior (b) toto genere est improba: posteriores (c) omni iure sunt licitæ.

(a) Pulchrè Molin. in tractat. vsur. (b) Iure diuino Lenit. 25. Exod. 23. Psalm. 15. Ezech. 18. Luc. 6. Iure canon. tot. tit. extr. de Vsur. Ciuili l. Improbum 20. C. Ex quib. caus. infam. Aristot. lib. 1. Polit. (c) Iure etiam diuino 2. Cor. 8. 13.

T H E S I S I V.

Intricata, sapiusq; tam à Theologis, quàm à IC. agitata quæstio in disquisitionem venit. An qui compressam ab alio & vitiatam ducit, vel cum corrupta ignorans sponsalia de

præsenti contrahit, postmodùm re comperta promissis stare cogatur, & ad consummandum matrimonium deinceps videri inuitus possit. Quod Aff.

c. 1. 29. quæst 1. circa fin. c. quemadmodum de Iurejur. vbi dd. Hostiens. de matrim. n. 26. diß. variè Theol. & dd. qui pro sua stabilenda opinione sacrum sermonem torquere etiam non erubescunt.

THESIS V.

Iustè principes principalium venationum jura, in vniuersum longa coosuetudine & vsurpatione ad se transtulisse, maximeq; rusticis & agricolis ademisse, fatemur.

D. Frid. Imp. in c. 1. §. Si quis rusticus. vers. Nemo retia, vbi Aluar. de Pace tenend. in Vfib. Feud. diß. dd. magno numero relati à Goed.

THESIS VI.

Non tamen prædicti in transgressores subditos, qui contra prohibitionem venantur pœna capitali (a) animaduerte-
re possunt, (b) arbitraria secus.

(a) vid. Guid. Pap. deciß. 218. dicentem in Delphinatu arbitraria, & quidem capitis pœna venationes esse prohibitas, ita Bald. Rom. Alex. dd. c. ex litteris vbi Dec. de const. putantes eo modo in principem delinqui. Dic mihi iustitiæ sacerdos, qualis sit analogia, propter feram capite punire hominem? Joan. in l. 2. num. 192. C. de Pact. int. Emt. (b) Mitio-rem hanc ego amplector. Marant. d. loco. Fel. Dec. Der. c. ex litteris. Cag. l. Vnic. n. 7. Si quis jus dic. c. 15. de Sentent. excomm. Tiraq. de Nobil. c. 37. num. 150.

THESIS VII.

Cur mitior pœna tùm legibus vetustis, (a) tùm etiam recentioribus (b) in puniendo adulterio scæminis imponatur, quàm maribus? Nos legitimè illud factum tuebimur. (c)


(a) maribus enim in §. Item l. Iul. Instit. de Publ. jud. pœna gladij irrogatur, quæ & hodiè durat apud Saxones lib. 3. artif. 13. (b) Ordin.

*Imper. cap. 120. Fæminis a. virginis caesis in monasterium detructo
Auth. sed hodie. Cod. ad l. Iul. de Adult. (c) vid. Angel. in tractat.
malef. in verb. che hai adulterat: num. 45. Rom. sing. 674.*

THESI VIII.

Super indictum, cum munus sit (a) extraordinarium,
tractu temporis (b) ordinarium factum esse putamus.

(a) l. 1. C. de Indict. (b) quia ex subsidio etiam charitativo, patrio
sermone. *Silffstew!* (O blandum nomen, nomen pulcherrimum
rei turpissimæ) sapius extraordinarium redditur ordinarium,
cum tamen super indictum, (ô vox horribilis omnibus) propius
ad ordinarium accedere videatur.



AD PRÆSTANTISSIMUM,
DOCTISSIMUMQUE Dn. AVTOREM:



VI quondam Latias notus MARTINE per
vrbes.

Non frustra Ausonio implesti promissa
Quirino:

Astrictas doctus diuerso epigrammate
chartas:

Descripsisse: replens cyncæo gutture Graias
(Præditus excelso Genio) solerter Athenas.
Sublimi pandens arcanas carmine causas,
Stellantesq; globos, naturam, elementaq; rerum,
Astrorum variam Phœben, variosq; recessus:
Ore canens: & adhuc claris ignota Latinis
Nomina progignens. Nunc altior ipse cothurno:
Assurgis, non ventosis in nubibus alas:
Expandis, non serpis humi, volitare per ora
Docta virum gaudes, plausu & clarescere vulgi.
Adde, tibi sacrum pleno dedit vberè nectar
Non petulans Nymphæ: non hirci foetida conjunx.
sed Dea Pieridum consors, & conscia magnæ
Palladis: Haud vllis Parcarum obnoxia pensis,
Iustitiæ consulta Themis, solersq; futuri
Casus, attribuit multo sale numina dudum.
Gens inculta virum fuit, & jam, vespere sero
Dêrat religio miseris, mos dêrat, vt & jus;
Dêrat & (ô pietas) pietas præstanda parenti.
Nulla thori fuerat ratio: fleuere ferino
Degentes homines ritu, sua fata, diesq;
Quid? commune bonum somno vinoq; sepultum
Tum fuerat, quæsît sua propria commoda quisq;.
Donec diuino docuisti percitus œstro,

Quid jus, quid ratio poscat, quæ prouida veri
Vis, alta quæ sic homines speculatur ab arce.
Mens alto cognata polo, sibi nectere lauros
Frontis Apollineas audet, tribuitq; decenter
Cuiq; suum: nec iniqua bonis Rhamnusiatis
Hoc decus inuidit Themidi: non asper acutis
Hippomax spinis, Spatius, tristisue Bibacus:
Sic senium æternæ potis est producere famæ,
Sic species terris: sic dijs sua laus quoq; constat.
Sis felix, felix, sis terq; quaterq; beatus.

*M. Joannes Leinigerus F. V.
Stud. Poet.*

F I N I S.

